

DISPUTATIO

22

De
MANSSIONE
FORMARUM ELEMEN-
TARIUM IN MIXTO,

Quam

Divina adjuvante Gratiâ,
IN ELECTORALI UNIVERSITATE WITTE-
BERGENSI,

Publica Philosophorum censura
Subjiciunt.

PRÆSES

MANDREAS LÖLHEWEL,

SS. Theolog. Stud.

Respondens

URBANUS Beythou/

Regiomonte Prussi.

Ad diem 29. Decembr. in Auditor. Minor.

Horis matutin.

✻ [†] ✻

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ typographicâ JOHANNIS HAKEN,

ANNO M. D. C. XLVII.



Physica.

271,42

VIRIS

*Amplissimis, Spectatissimis, Prudentissimis, Admodum
Reverendo, Solertissimis.*

DN. JUDICI, Proto-Scabino, cæterisque Ju-
dicij in Löbnicensi Regij Borussiae Montis Civitate,
Adfessoribus gravissimis.

DN. JOHANNI PAULI, Ecclesiae Baleten-
sis in Lithuania Pastori Vigilantissimo Dignissimo, Respe-
ctivè Affini suo Honoratissimo.

DN. MICHAELI Dytlowen / PATRI-
CIO in Stralsundia Pomeraniae Civi non
postremo.

DN. CHRISTOPHORO Gledert / Civi a-
pud Löbnicenses Regimontanorum facile primo
Tutori suo meritissimo.

Fautoribus suis ac Promotoribus Maximis

Physicam hanc disquisitionem

submitte offert

Respondens.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



Σὺν Θεῷ

§. I.

INter alias difficillimas in Philosophiâ naturali subinde
occurrentes materias, certè non postremum, sed fere
primum locum sibi vendicat, doctrina de Mixtione.

Norunt hujus doctrinæ summam difficultatem, non
ij tantùm, qui primis, quod dicitur, labris, Physicam de-
gustarunt; Verùm illi etiam, qui paulo accuratius ejus
cognoscendæ curam, susceperunt. Ut unius, vel alte-
rius difficultatis, tantum mentionem injiciamus, quis est
qui nesciat quam perplexa ac intricata sint quæ disputan-
tur de Mixtionis verâ definitione, ejusdem principijs,
causâ imprimis efficiente &c. Omnium autem difficil-
lima, nostro quidem judicio, circa mixtionis doctrinam
videtur quæstio hæc: Cùm inter omnes Naturæ consul-
tos constet, ex elementis illis vulgaribus quatuor: Terrâ,
aëre, aquâ & igne, mixtū produci, an elemēta illa nominata,
factâ jâ mixtione, penitus quoad formas suas aboleantur, an
v. in mixto integra remaneant? Quæstio hæc, antiquis jam
temporibus summos Philosophos Empedoclem, Demo-
critum, Platonem, Aristotelem, &c. vehementissimè exer-
cuit, nec tamen de eâ unquam convenire potuerunt. No-
stris temporibus inventi sunt Philosophi, qui summam e-
jus difficultatem sentientes, penitus de ejus decisione de-
sperarunt. Quæ omnia cum ita sint, nimis omnino alicui
temerarij videri possemus, quod Nos ejus decisionem,
& hæc ratione illud, quod nonnulli fieri non posse statue-
runt, promittere audeamus. Interea tamen, cùm diffi-

A 2 1

cilia

cilia quæ pulchra sint, & in magnis voluisse etiam sat sit, tentandum aliquid judicavimus & hâc vice sententiam nostram eâ de re subjecimus. Ad quod faciendum nos etiam adegit hujus doctrinæ necessitas, quæ tanta est, ut si quis hîc recto non incedat tramite, veramque sententiam cognitam non habeat, mirum, quantis difficultatibus universam naturalem Philosophiam involvat. Observabimus autem circa controversiæ hujus decisionem hanc methodum, ut primò sententiam nostram in thesi proponamus, eamque firmis rationibus muniamus; deinde etiam *ἀντιθεσιν* exhibeamus, ejusdemque potissima fundamenta, quantum possumus, ponderemus.

II. Possunt autem, quemadmodum in præcedentibus jam quadantenus monuimus, celebriores de hâc controversiâ sententiæ commodè dividi in duas classes. Prima classis continet sententiam eorum, qui statuunt formas elementorum cum suis qualitatibus in mixto remanere: Suntque hi, quod probè notandum, in duplici vicissim differentiâ. Alij statuunt formas elementorum integras, nullâque sui parte diminutas cum omnibus qualitatibus remanere. Alij contra formas quidem in mixto remanere concedunt; Sed illas non integras, verùm refractas, uti loquuntur, & diminutas. Secunda classis planè priori contrariam continet sententiam: asserit videlicet, quod ubi mixtio facta est, formæ elementorum planè aboleantur, nullâque ratione in mixto remaneant, deinde nova forma Mixti exsurgat, quæ formas elementares *δυνάμεις* i.e. potentiâ contineat.

III. Nos ad primam Autorum classem accedimus, & eorum præ reliquis probamus sententiam, qui elementorum

rum

rum formas integras cum omnibus virtutibus, ac qualita-
tibus in Mixtis remanere asserunt. Et quidem hunc in
modum mentem nostram clarè proponimus: *Elementa*
seu miscibilia, quando in Mixtione conjunguntur & uniuntur,
factâ mistione non abolentur, sed in minimas particulas,
quas Atomos vocant, redacta, per σύγκρισιν congregantur
& elegantissimè disponuntur. Hæc nostra, quam ita propo-
suimus sententia, non est nova, uti nonnulli sibi imagi-
nantur; sed vetus & contrariâ longè vetustior. Est enim
ea Empedoclis, Democriti, Anaxagoræ, Hippocratis &
fere, quod Excellentissimus Dn. D. Sennertus piæ memo-
riæ Hypomn. Phys. 3. cap. 2., asseverare audet, Philosopho-
rum ante Aristotelem omnium. Ex quo satis superque
apparet, quod hæc nostra sententia novitatis alicujus ac-
cusari nullo jure possit; imo quod contraria sententia po-
tius nova, & Juniorum Philosophorum sit, uti loquitur
summæ autoritatis Philosophus & Medicus Fernelius libr.
2. Physiolog. c. 6. ab initio, cujus verba paulò duriora in
contrariæ sententiæ defensores hæc sunt: *Videmus apud*
multos juniores puerilem, verèq; inanem percrebuisse senten-
tiam, quâ vetere spretâ Philosophiâ decreverunt, non ele-
mentorum substantias, sed qualitates duntaxat in nobis as-
servari. Esse calidum, frigidum, humidum & siccum,
ex quibus constamus, non substantiarum, sed qualitatum
nomina. *Nusquam sinceras quatuor rerum naturas ha-*
beri, mixtionis expertes: Sed neq; eas, quæ nos cir-
cumfundunt, si rei gignendæ adhibeantur, species suas præte-
rea retinere, verum protinus evanescere, quando nova com-
positi forma ex permixtione succedit &c. Ex recentioribus
ad nostram sententiam accedunt, multi Philosophi ac
Medici præclarissimi, Avicenna, modo nominatus Fer-
nelius,

melius, Sennertus, Bartholinus & infiniti alij.

IV. Probamus autem nostram hanc sententiam hâc vice duabus potissimum rationibus. Primam desumimus à qualitatibus Elementarium in mixtis remanentiâ. Videmus in mixtis qualitates elementorû omnes remanere. Ita in corpore nostro experimur propter formâ elementari prædominantis gravitatem, experimur calorem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem. Hæc omnia quid aliud, quam quod formæ, à quibus qualitates oriuntur, adsint, arguunt? Quamvis autem, ut aliquem hoc in loco scrupulum eximamus, non omnes, qualitates primæ, (uti vocantur) semper simul actu sentiantur, tamen inde non inferre licet, non omnes eas præsentibus adesse. In corpore nostro, quamdiu id sanum ac vegetum est, frigus non adeò sentitur; ast simul ac id ipsum mortuum est, frigiditas statim satis superque sensui apparet. Ex ijs E. quæ hactenus in thesi hâc nostrâ proposuimus ita argumentari licet: *Ubiq; propria πῶς ἔσσι affections formarum elementarium reperiuntur, ibi ipsæ formæ Elementares etiam adsint necesse est. Atqui in mixtis propria πῶς ἔσσι affections formarum elementarium reperiuntur. Ergo in mixtis ipsæ formæ elementorum adsint necesse est.* Major Propositio Axio-mate fide digno nititur: Quod propria sine πῶς ἔσσι subsistere nullâ ratione possint. Minor experienciâ constat, quemadmodum id sub initium hujus theses à nobis sufficienter indicatum est.

V. Ad primum hocce nostrum fundamentum respondent nonnulli (1) negando Minorem. Falsum enim omnino esse putant in mixtis elementorum qualitates remanere. Sed miramur huic rei contradicere, quæ tamen tam apertè sensu & experienciâ constat, uti à nobis jam probatum est, & cuivis id etiam sensus probare potest.

Nec

Nec certè decorum est, ubi aliquid sensu patet, velle id ipsum ratiunculis quibusdam hinc inde conquisitis, in dubium vocare. Sed inquirunt, (2) aliqui, non qualitates, sed virtutes tamen elementarium formarum, sive actiones earundem in mixto remanere. Respondemus. Et hæc exceptio nodum non solvit. Sive enim aliquis qualitates sive virtutes seu actiones Elementorum in mixto ponat, ipsas formas elementorum etiam in eo concedat necesse habet. Actiones enim, qualitates præsupponunt, ita ut, ubi actio sit, ibi etiam necessario, qualitas quædam detur, à quâ actio illa oriatur. (3) Putant Adversarij se vim argumenti nostri effugere posse, si dicant: qualitates quidem elementorum in mixto reperiri; Verùm proximum earum subjectum non esse formas Elementorum, sed formam mixti novam ex privatione formarum elementarium productam, quæ formas Elementorum *δυνάμει* i.e. potentiâ contineat. Respondemus (1) Vana imaginatio est, ita formam novam mixti oriri. Falsa sententia de origine formarum, quotnam tandem dabit opinionum monstra? (2) Talis forma, quæ ex privatione formarum elementarium oriatur, quid nisi verus Geryon, veraq; Chimæra? Explicant aliàs privationem, per potentiam quâ materia formam recipiat. Quid nunc præstabit talis potentia aut privatio ad originem formæ mixti? Quænam hujus formæ causa efficiens? Et an ex aliquo, an ex nihilo?

VI. Secundum nostrum argumentum à Mixti resolutione desumimus cùm excellentissimo D. Sennerto ex Hypomn. Physico tertio p. 126. Hinc ita argumentamur: *In quodcunque mixtum resolvitur, ex eo etiam actu constat. Atqui in elementa mixtum resolvitur E. ex elementis etiam actu constat.* Tametsi hujus nostri argumenti summa sit evi-

sit evidentia, sunt tamen qui vel ad majorem vel minorem etiam aliquid respondeant. Imprimis rem acu sibi tetigisse videntur, qui ad majorem respondere solent eam negando. Nimirum dicunt hi: non omnino mixtum actu ex eo constare, in quod resolvatur. Fieri enim ajunt posse, ut id, quod resolvitur, propter varias actiones & mutationes in ipsâ resolutione occurrentes, varias easque novas formas subinde acquirat; Sic etiam fieri posse, ut formæ elementorum, quæ post mixti resolutionem apparent, denuo propter varias factas mutationes de novo productæ fuerint, quæ tamen antea in mixto, quam diu illud integrum & incorruptum erat, non habebantur. Hinc putant distinguendum esse inter resolutionem illam, ubi res in illa resolvitur ex quibus actu constat, & inter resolutionem transmutativam. In elementa fieri dicunt resolutionem, non illam priorem, sed transmutativam, ubi mixtum resolvitur in elementa, quæ non actu integra ante resolutionem in eo erant, sed demum in ipsâ resolutione iterum de novo producta sint.

VII. Hic respondemus (1.) Elementa se se habere ut mixti principia transmutabilia, nondum probatum est. Putamus nos, etiamsi universa natura, omnis experientia quam diligentissimè etiam excutiatur, non observatum tamen iri, elementa inter sese mutuò transmutari vel unquam transmutata esse. Firmum omninò perstat argumentum, quod excellentiss. Dn. Professor Sperlingius, contra illam transmutationem elementorum producit: *Quæcumq; sententia infert in naturâ vacuum illa est rejicienda. Sententia de elementorum transmutatione, in naturâ infert vacuum. E.* (2.) Respondemus verbis Excell. Dn. Sennerti quæ l. c. habet: *Alij ne sensib. repugnent, mixta quidem*

quidem in elementa resolvi concedunt; verum ineptè statuunt
 elementa non eadem numero; sed specie redire è mixto, id quod
 nullà ratione nititur, sed tantum ad palliandum absurdum
 dogma comparatum est; imo rationi & experientia repugnat.
 Etenim cum statuunt elementa è mixto redire ob similis elemen-
 ti actionem, quàm id quod in mixtione amiserant, rursus acqui-
 rant: quomodo quæso in destillationibus & combustionibus a-
 quæ & terrà è mixto elici poterit; cum ignis agendo in mixtum,
 nihil aquei, nihil terrei inducat, imo actio ignis aquæ & ter-
 re adversetur, non vero eas augeat & perficiat. Unum in
 combustionibus agens est ignis, ejusq; vis omnes mixti partes
 equaliter afficit & nihilo minus alias calidas, alias frigidas, ac
 alias humidas, alias siccas, alias amaras, alias dulces, alias aliis
 modis differentes producit: quæ cum ab unicâ actione ignis pro-
 venire non possint, certè antea in mixto fuisse credendum est.
 Hactenus D. Sennertus.

VIII. Proposità ita sententiâ nostrâ, eâdemque fir-
 mis satis rationibus munitâ, restat ut nonnulla de ἀντιθεσι
 dicamus. Etsi autem & illorum sententiâ à nobis discrepet,
 quæ formas quidem in mixto manere asserit; sed refractas
 & diminutas; tamen de eâ excutiendâ hâc vice non eri-
 mus solliciti, differentes id ipsum in aliam occasionem.
 Hâc vice eorû sententiâ tantû cõsiderabim⁹, quinostre pla-
 nè adversâ fronte cõtradicunt, statuendo, quod formæ ele-
 mentorû in mixto nullaten⁹ actu remaneant, qualitates au-
 tem elementorum, in novâ formâ mixti subjectentur. In
 hâc sententiâ Aristoteles fuisse videtur, uti imprimis ex
 cap. 10. libr. 1. de generat. & corrupt. colligere licet. Verba
 ejus ita habent: Δῆλον ὡς ἔτε κατὰ μικρὰ στοιχεῖα δεῖ τὰ
 μικρῶτερα φάναι μίχθαι σύνθεσις γὰρ ἔσται ἢ κρᾶσις, ἢ ἔδε
 ἔξει τὸν αὐτὸν λόγον τῶ ὄλω τὶ μέρος. Φάμεν ἣ εἴωθ' δεῖ μί-
 χθαι

B

μίχθαι

021

μὴ θάτι, τὸ μίχεν ὁμοιομερές εἶται. Καὶ ὡς πρὸς τὸ ὕδατος
τὸ μέρος ὕδατος, ἔτα καὶ τὸ κραδέυτος. Ἄν ἡ κατὰ μίχρα
σύνθεσις ἢ μίξις ἔνυ συμβῆσεται τῶτων. 2. e. *Manifestu est, quod*
neq; secundum parva salvata oportet ea, quæ miscentur dice-
re mista esse. Compositio n. esset, non temperamentū nec mixtio,
neq; pars cum toto eandem haberet rationem. Dicimus au-
tem oportere, si mixtum est aliquid, quod mixtum est, si-
milarium esse partium, & quemadmodum aqua pars aqua,
ita & temperati. Si autem secundum parva compositio fuerit
mixtio, nihil continget horum. Ex recentioribus in hac sen-
tentia sunt, Scotus & Latini pleriq; qui hac in parte Sco-
tum sequuntur.

IX. Etsi autem multi multa pro hac sententia in me-
dium afferant argumenta; tamen hac vice tria tantum, ea-
que potissima brevissimè examinare placet. Primum Ad-
versariorum argumentum ita habet: *Cujuscunq; minima et-*
iam partes mixtæ sunt, illud ipsum non potest in se continere
actu formas elementorum. At mixti omnes etiam minima par-
tes mixtæ sunt. E.

X. Respondemus (I) invertendo Majorem propositio-
nem ita: *Cujuscunq; minima etiam partes mixtæ sunt, in*
eo necessariò formæ elementorum manere debent. Pro-
batur: quia mixtum non est, in quo non plura, eaque
diversa inter se uniuntur secundum vulgatam etiam mi-
stionis definitionem: Mixtio est miscibilium alterato-
rum unio (II.) Concedimus libentissimè, si mixtum ut
mixtum & ità formaliter spectetur, quamlibet minimam
partem integrantem esse mixtam; Verum exinde inferre
non licet quod quævis pars mixti sit talis, essentialis quo-
que quævis. Conferatur Rever. plur. & excellent. Dn.
D. Scharffius lib. 3. Phys. special. cap. 1. p. 713. (III.) Respon-
demus eos, qui hoc argumento contra nos utuntur, pro
fundat

fundamento ponere, quod in controversiâ est. Et enim
inquit B. Sennertus, *contra naturam mixtionis videtur hæc
assertio (scil. quod minima pars mixti etiam debeat esse mixta.)
Si enim mixtio sit, quæ miscentur simplicia sint necesse est Neq;
opus est, ut simplicia illa mixta sint, sed tandem in resolutione
ad simplicia pervenire necesse est.*

XI. Secundum argumentum contra nostram senten-
tiam ita procedit: Ubicunque nova forma substantialis ge-
neratur, ibi necesse est, priores formas omnes aboleri. At
in mixto nova forma generatur. E. necesse est priores for-
mas omnes (elementares sc.) aboleri. Majorem probant
Adversarij dicendo: impossibile esse, ut ex aliquâ re nova
forma generentur, nisi illa substantialiter mutetur. Sic
V. G. oriri debet, ex quatuor elementis forma sulphuris,
in æternum ajunt illi, id fieri non posse, nisi elementa suas
formas planè amittant, & ita demum, ex privatione for-
marum elementarium, nova sulphuris forma exurgat.
Minor abundè experienciâ patet, adeò ut ejus probatione
opus non sit.

XII. Respondemus (I.) ad Majorem propositionem di-
stinguendo inter veram formæ generationem & inter i-
maginariam illam, quam sibi fingunt Adversarij. Ap-
plicamus: Cōcedendo. Si formæ educerentur è materiæ si-
nu sive potentiâ, h. e., si per varias actiones, mutationes, re-
ctiones, alterationes, contemperationes ex ipsis Elemen-
tis originè suam traherent, etiâ Majorè Propositionè, imo
rotum argumentum concedendū esse. Verùm probent id-
ipsum nobis Antagonistæ. Putamus nos longè nobilio-
rem omnium formarum essentiam esse, quàm ut ex nudis
elementorum mutationibus fieri possint. Quis for-
mam Canis animalis sagacissimi, ex nudis elementorum

muta-

mutationibus fieri posse sibi persvadeat? Idem iudicium etiam
fieri debet de Metallorum ac reliquorum mineralium formis
quarum varias nobilissimas vires ac facultates, quae nulla ratione
a nudis elementis deduci possunt, cum multi summi Viri jam o-
stenderint & fusissimè declararint, nolumus de ijs prolixè loqui,
ne, quod Proverbio dicitur, actum agere videamur. Merito
hïc cum subtilissimo Scaligero statuiamus, formam naturam esse
quintam, etiamsi ea non sit anima, quam ne quidem nominare
valeamus juxta πολυτροπον illud: Nomina mihi lapidis for-
mam & Phyllida solus habeto.

XIII. Tertium & ultimum, quod hïc vice discutere
libet, argumentum ita habet: *Quodcumq; est ens per se,
illud non potest actu plures formas in se continere, Mixtum est
ens per se. E. non potest plures formas actu continere,
& per consequens nec formas Elementorum.* Respondemus ad Ma-
jorem distinguendo inter formas specificas & genericas. Con-
cedimus Majorem, si in mixto darentur plures formae specificae,
negamus verò de genericis; probent in uno Ente per se non posse
esse plures formas genericas. Mentem hanc nostram, quando-
quidem nervosissimè ac elegantissimè Dn. Sennertus proponat,
intermittere non possumus, quin ejus verba hïc adscribamus: *Non
absurdū est, inquit Scaliger, in continuo nos plures statuere formas. Sunt
enim haec actus materiae quaeq; suae. Quae materiae quia sunt à natura
ad operationem compositionem institutae, factum ab eadem est, ut quem-
ad modum ipse, sic & earum formae commisceri queant. Formae
verò ultimae & excellentes, ut hominis, cum ad ulteriorem operam non
sint comparatae, sole non miscbuntur.* Hæc Sennertus. Plura Ad-
versariorum argumenta, utpote hoc: Si formae Elementorum
cum suis qualitatibus in Mixto remanerent, contraria in eodem
Subjecto poni & alia in ipso discursu pro Virili examinabimus. Qui
interim aliquid præterea hïc de re legere desiderant, adire possunt.
Dn. D. Sennertum in hypomnem. Phys. Fernelium l. c. Dn. D. Scharf-
fium in Phys. recognitâ, D. Bartholinum tr. de Mixtione, Bassonem
Francisc. Patricium, Sebastian. Foxium in libr. de Aristo-
telis & Platonis consensione & alios. Nos hïc
subsistimus.

F I N I S.